



30 D. O. M. A. Disputatio Juridica. 1627 3

De  
**EMPHYTEUSI.**

*Quam*

Permissu & Autoritate Magnifici & Amplissimi Ictorum ordinis, In Illustri ad Albim Academia,

*Sub Profilio*

*Viri Clarissimi & Consultissimi,*

**DN. CHRISTIANI Kremberg. J.U.D.**

Præceptoris, Fautoris, & Promotoris ætatem colendi,

*Publico examini submittit*

**DANIEL à TARNAW, Vra-**  
tislaviâ Silesius.

*In Auditorio Ictorum, ad diem 27. Septemb.  
horis à VII. matutinis.*

**WITTEBERGÆ**

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormanni,  
ANNO. M. DG. XXVII.



31

ENTWURF

DES

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...







# DE EMPHYTEUSI.

## Præloquium.



*Su frequentem & quotidianam esse celeberrimam contractuum materiam, creberrimasq; in foro & judiciis indices exsurgere & componi de variis contractuum speciebus controversias, ipsa experientia luculentissimus testis est. Cui verò ea, quæ crebrius occurrunt, plenius & diligentius sint pertractanda, juxta monitum Icti Pauli in l. legau. 25. ff. de liberat. legat. & Ulpiani in l. 1. pr. ff. de suspect. tutor. haut abs re jore arbitror, si ex ampla hac & latissimè se diffundente contractuum materia, unam aliquam speciem, præ reliquis elegantior, aliquot thesibus inclusam, placida & amice disquisitioni submittam. Visum autem mihi fuit hac vice in emphyteutici contractus causas & effectus inquirere, eo, quod hic contractus esset & frequentior, teste Wesemb. in par. ff. si ager vectig. n. 1. & Aurel. Corbul. in tract. de jur. emph. in exord. & ejus magna utilitas, materia ubertas ac difficultas, quæ seipsam satis ostendit, atq; ob hoc commendationem nullam requirit. Argumento l. 1. ff. de in integr. restitut. Quapropter missâ ulteriori verborum ambage, divino auxiliante numine, cujus favore & gratia omnia conficiuntur. l. 2. §. 1. C. de vet. jur. enucl.*

*l. 2. pr. C. de offic. præfect. Afric. id, quod susceptum à me exposcit propositum, aggredior.*

A 2

1. Initium



1. Initium autem huic disputationi faciat definitio emphyteuseos. Omnis enim instituta rei investigandæ tractatio à definitione debet proficisci, suas ore & hortatore Panaetio, in offic. Ciceron ut sciatur, quid sit id, de quo acturi sumus. *l. 1. ff. de l. & l. Definitur autem emphyteusis, contractus, juris gentium, nominatus, bonæ fidei, consensu constans, quo res immobilis utenda fruenda conceditur, sub lege meliorationis & præstationis annuæ Alii aliter definiunt. Hugo Donell. lib. 9. comm. jur. civ. c. 13. Gadd. disp. ad ff. 14. part. 1. th. 6. Leopold. Hack. disput. illust. quest. 11. th. 14. Tim. Fab. disp. Inst. 24. th. 7. Thom. Lindem in exer. Inst. disp. 7. th. 1.*

2. Resolvitur hæc definitio in definitum & definitionem ipsam. Definitum est emphyteusis, vox græca origine, sed usu latinis jure donata, ad similitudinem vocum aliarum, ut sunt, proxeneta, hypotheca, arra, parapherna &c. *Cujac. in par. ad tit. C. de jur. emph.* Cum enim apud Latinos proprio & elegantiori nomine careret, placuit in ejus locum succedere nomen à græcis translatum, quod huic contractui semper proprium & speciale fuit, etiam ante tempora Zenonis. *l. sciendum. 15. §. 1. ff. qui sat. dar. cog. l. sed si. 3. §. si jus. 4. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 1. & t. r. C. de fund. patrim. per omnes leges quæ Zenone anteriores fuerunt. Osvald. Hillig. in Donel. enuc. lib. 9. cap. 13. lit. D in not.* Hanc vocem varii variè derivant, ut videre est apud *Accurs. in N. 7. c. 3. §. scire autem. ad verb. meliorationum. Cujac. in not. ad §. adeo. 3. Inst. de loc. cond. ad verb. de prædii. Specul. part. 3. lib. 4. sub rub. de emph. n. 2.* Nobis placet illorum opinio, qui emphyteusin ab ἐμϕυτεύω, latinis, fero sive planto, deducunt, ut sit ἐμϕυτεύσις, latinis implantatio & per methonymiam causæ pro effectu, melioratio. *VVe-semb. in par. ff. si ager ved. per.* dicitur alio nomine, jus perpetuum, jus perpetuum, *l. 1. C. de offic. Com. sac. palat. l. 1. & 3. C. de loc. præd. civ. lib. 11. l. 10. C. de excusat. mun.* Germanis, eine *Impfung, Erbzinß, Erbpacht, Erbrecht.* *Hubert. Giph. in comm. Inst. de loc. cond. accipitur que vel pro modo constituendi jus emphyteuticum, vel pro jure quod in re constituitur. rub. & t. r. C. de jur. emph. vel pro corpore in quo consistit, priores, duæ acceptiones hujus sunt loci. Gadd. disp. ad ff. par. 1. disp. 14. th. 6. lit. b.*

3. Explicata definitione nominis, succedit definitio rei



rei; quæ constat genere & differentia. Genus proximum est contractus. §. adeo. 3. *Inst. de loc. cond. l. 1. in verb. justum validumq; contractum. l. 2. in pr. C. de jur. emph.* hanc opinionem juvat, quod substantialia contractuum huic negotio insint, adest enim tum conventio. l. 1. §. 3. ff. de pact. tum obligandi negotium. l. in com- modato. 17. §. 3. ff. comm. quorum alterum contractus constituti materiam, alterum formam complectitur. *Gedd. ad l. 19. ff. de V. S. & in tr. de contr. & commit. stipul. c. 3. conc. 1.* Idem sentiunt *Iohan. Coras. ad rub. tit. C. de jur. emph. n. 12. Matth. Vvesemb. in par. ff. si ag. vect. n. 2. Dion. Gothof. in not. ad rub. C. d. r. Hier. Trent. Vol. 1. disp. 29. th. 14. lit. a. Iob. Harp. part. 2. disp. Inst. 11. th. 1. lit. b.*

4. Differentiam contractus emphyteutici à quatuor causarum generibus & effectis desumptam, reliqua explicant definitionis verba, quam in sequentibus distinctè, juxta præscriptam methodi legem explicabimus, ita, ut dicamus primo de causis constituentibus & effectis, postmodum de modis, quibus constitutum jus emphyteuticum rursus deperit & extinguitur, ubi prius tum nominatum & bonæ fidei emphyteusin esse contractum probaverimus, tum ejusdem divisionem præmiserimus. Nominatum itaque emphyteusin esse contractum facile apparebit, si requisita contractuum nominatorum, quibus mediante ab innominatis dignoscuntur, inspexerimus. Ut autem contractus aliquis sit & dicatur nominatus, hæc duo communiter requiruntur. 1. Nomen à lege impositum, idq; specificum, huic soli competens, non æquivocum, non confusum. 2. Certi ac determinati fines, hoc est, forma specifica, ex qua deinde pèdet & ultro fluit specialis à lege accommodata actio, veluti tradunt Interpretes ad l. 7. ff. de pact. *Bart. in l. 28. C. de transact. n. 20 & seqq. Nicol. Mozz. de contr. in genere. art. 4. n. 11. & seqq. Iohan. Gedd. de cont. stip. c. 1. n. 49.* Jam vero hæc omnia in præsentis nostro contractu cernimus; habet enim nomen elegans & proprium, quod nulli præterquam huic conventioni attribuitur; habet itidem formam suam specificam & ex ea dependentem actionem propriam, sicuti infra videbimus; ut sic plane dubitare non liceat, conceptionem definitionemque hujus contractus à quatuor contractuum innominatorum generibus esse di-



verfissimiam. *Myns. ad §. adeo. 3. Inst. de loc. cond. Ang. in l. 1. C. b. n. e.*  
*Iason. in pr. el. feud. n. 24. in. fin. Vvesemb. in par. ff. si ag. ve. n. 2. Jul. Clar.*  
*§. emphyteusis. quest. 2. Bocer. disp. 14. th. 18.*

5. Diximus emphyteusin annumerandam contra-  
ctibus iis, quibus suapte natura, etiam citra conventionis le-  
gem, bona fides inest, & ex quibus alter alteri attentā amicitiae  
& familiaritatis ratione ad quādam obligatur, quæ expressè &  
nominatim in conventionem deducta non sunt, quos contra-  
ctus bonæ fidei appellant: atque hoc satis evincit *l. 1. C. de jur.*  
*emph. & §. 3. Inst. de locat. cond.* Ubi Imper. tradunt, hoc nego-  
tium initium sumpsisse partim ab emptione venditione, partim  
à locatione conductione; quamvis incertum illud, quis nam  
propriè ac peculiariter contractus fuerit: constat autem mixta  
simplicium assumere naturam. *l. 2. de O. & A. l. in facte. 60. ff. de con-*  
*dit. & demonst.* Quare cum emptio & locatio sint contractus  
bonæ fidei. *§. actionum. 28. Inst. de action.* quid prohibet etiam em-  
phyteusin talem esse? Fateor equidem ejus expresse non fieri  
*in d. §. 28. l. de act.* mentionem; interim tamen etiam nuspiam ex-  
cluditur, & non tam quod verbis, quam quod sententia legis  
exprimitur. attendendum est. *l. nominis. 6. §. verbum. 1. & ibi Gadd.*  
*de V. S.* Et si itaq; in *d. §. 28.* desint verba, mens tamen legis non de-  
ficit; ut taceam, adhuc in dubio illud esse, utrum inibi omnes  
actiones bonæ fidei recenseantur. Si itaque olim fuit bonæ fidei  
contractus, etiam nunc erit, quia hoc nuspiam deprehendi-  
mus immutatum. *l. sancimus. 7. C. de testam. Donell. ad d. §. 28. Inst. de*  
*act. n. 39. Val. Guil. Forst. in tr. Inst. par. 1. disp. 15. th. 9. Connan. lib. 7.*  
*comm. c. 12.*

6. Dividitur emphyteusis à variis variè: ex omni-  
bus tamen quæ adferuntur, divisionibus ea nobis videtur po-  
tissima, qua emphyteusis alià dicitur Ecclesiastica alià Civilis  
sive secularis. *Herm. Vult in juris pr. Rom. lib. 1. cap. 36. in fin. Joh. Gadd.*  
*disp. ad ff. 14. part. 1. th. 7. lit. b. Joh. Harp. d. disp. 11. th. 2.* Ecclesiastica  
emphyteusis, à natura rei in qua consistit sic dicta, illa est,  
quæ res Ecclesiæ immobilis, aliorumve locorum venerabi-  
lium, à Prælato vel œonomo causâ cognitâ alteri in emphy-  
teusin cor deditur. *N. 7. cap. 3. N. 120. c. 6. §. 1. Borch. par. 1. disp. de jur.*  
*emph.*



emph. th. 3. Id. de feud. c. 3. n. 14. & sequ. Civilis est, qua Princeps, Universitas, municipium, aut privatus quis rem suam in emphyteusin concedit. *Vvesem. in par. ff. si ag. vect. Cujac. in. l. 1. C. de loc. prad. siv. Giph. Schneid. ad §. adeo. 3. Inst. de loc. cond. Vult. d. l. c. 36. in fin.* Utraque ab aliis rursus distribuitur in novam, quæ originem habet in personâ contrahentis: & antiquam, quæ ab alio ascendente acquisita est. *Dion. Gotbofr. in not. ad rub. C. de jur. emph. lit. r.* Item ab objecto in publicam, quæ in publicis; & privatam, quæ in privatis prædiis consistit. *Obrecht. disp. de jur. emph. th. 13.* Sic aliis ab effectu emphyteusis est vel hereditaria, quæ ex pacto & providentia pro se & heredibus est acquisita: vel non hereditaria, quæ cum persona accipientis expirat. *Iul. Clar. §. emphyteusis. quas. 26. n. 1. 2. & 3.*

7. His præmissis, nunc accedimus ad causarum, & effectuum explicationem. Ubi se primo offert efficiens. Hæc vel est remota, vel propinqua. Illa est, quæ contractum hunc adinvenit, aut usu hominum adinventum informavit & validum esse iussit; & hanc dicimus esse jus gentium, quod usu exigente & humanis necessitatibus gentes sibi constituerunt, cui totam substantiam & perfectionem hujus contractus adscribere non erubescimus; unde non immerito ab eodem suam habet denominationem, ut dicatur hic contractus juris gentium, non verò juris civilis; quippe quod circa ipsius substantiam nihil disposuit, sed tantum circa naturalia, sicuti mox videbimus. Probat hanc opinionem legibus, rationibus & autoritatibus. Nam  
1. adducimus *l. ex hoc jure s. ff. de l. & l. & §. Ius autem gentium. §. Inst. de l. N. G. & c.* Ubi Imp. Justinianus & Hermogenianus Ictus regulam proponunt generalem, omnes conventiones esse ex jure gentium, paucis exceptis, quæ descendant ex dispositione juris civilis. Atqui ab hac regula nusquam deprehendimus exceptam emphyteusin: Cur igitur regulæ non stabimus?  
2. Quia quodcunq; nobis est commune cum gentibus aliis, illud est jus gentium. *d. §. 5. l. de l. N. G. & c.* Atqui præsens nostrum contrahendi genus nobis est commune cum reliquis gentibus, quod testatur *Aristoteles d. Bizantzius lib. 3. Oeconom.* Testatur insuper frequens emphyteuseos usus, qui fuit ante tempora Zenonis.



nonis. d. §. 3. *Inst. de loc. cond.* Quid igitur causæ, ob quam juri civili adscribenda? 3. Accedit ad hæc, quod hic contractus solo ineatur consensu; quod probat, tum ordo tit. in *Inst. & C.* observatus: tum etiam veterum JCtorum dubitatio, qui eo præsupposito, quod consensualis esset hic contractus, cum viderent plures esse species consensualium contractuum, de eo solo disputarunt, cuius speciei esset adscribendus. Jam verò ea negotia, quæ ad suum esse & perfectionem præter consensum nihil desiderant, omnia sunt juris gentium, ex quo est etiam consensus. l. 1. §. ff. *de contrah. empr.* Relinquitur ergo emphyteusis esse juris gentium. Cui sententiæ adstipulatur. *Ioh. Coras. de jur. emph. in rub. n. 8. & lib. 1. miscell. c. 21. Cujac. in par. C. de jur. emph. Connan. lib. 7. comm. jur. civ. c. 12. Giphani. ad l. 2. C. de jur. emph. Hotton. ad §. jus a. gentium l. de jur. N. G. & C. Arum. exerc. 14. th. 12. Bachov. in not. ad Treut. disp. 29. th. 9. lit. b. vol. 1.*

Nihil huc faciunt, quæ in contrarium adducuntur ex sinistra interpretatione constitutionis Zenonianæ. Nam si eam altius paulo expendamus, non erit difficile ad dissentientium argumenta respondere; Quippe in d. l. 1. *C. de jur. emph.* cum notum esset Imperatori, esse quoddam dubium in animis JCtorum de contractu emphyteutico, utrum peculiare aliquod genus contrahendi, an vero emptio vel locatio esset, processit ipsius constitutio; cujus duo commodè possunt constitui capita: quorum in priore Imperator asseverat, emphyteusis esse peculiarem contractum, conceptionem item, definitionemq; habere propriam, non quod nunc demum incipiat habere propriam & specificam formam, per quam eximatur è numero contractuum innominatorum (illud enim nunquam Imperatori fuit propositum, quod hac lege, eam, quam antè emphyteusis habuit, formam certam, JCtorum dubitationibus & altercationibus obscuratam, velit immutare) sed hoc solum disponit, ut de forma ipsius certa amplius non liceat dubitare, sed omnibus innotescat, hanc esse peculiarem prorsus speciem obligandi. Quapropter in hac prima parte legis Imper. nihil emendat ex substantialibus, sed quod erat in obscuro & plerosq; latebat, in apicū & lucem deduxit. Hæc est mens *Corasii i. miscell. cap. 21.* Ex quo non



non potest inferri, hunc contractum esse juris civilis, quia ea demum ad hoc jus referuntur, quorum substantiæ quid vel est adjectum vel detractum, quorum tamen neutrum hic animadvertere licet. Et hæc est prima pars constitutionis, in qua insuper fit mentio scripturæ, quod potissimum solet urgeri, sed huic satisfiet infra circa formam. In altera parte de iis quædam disponit Imperator, quæ non concernunt substantiam contractus, sed vulgo naturalia appellantur contractuum, quæ à substantialibus plurimum distant. Hæc enim sunt immutabilia. *l. jus publicum. 38 ff. de pact. l. Iulianus. 9. §. sed si quis. 13. ff. ad exhib.* Illa ex placito contrahentium mutari & variari queunt. *l. si unus. 27. §. si pactus. 2. in fin. ff. de pactis. junctæ l. unic. §. cum a. 7. vers. exactionem. C. de rei uxor. act. l. qui mutuum 56 §. in fin. ff. mandat. l. naturalis. 5 §. sed si. 4. ff. de prescrip. verb. Hottom. quæst. illust. 37. Valt. lib. 1. Feud. c. 8. n. 39.* Constituit autem Imp. Zeno, ut, siquidem nihil de casibus fortuitis pactum fuerit, particulare damnum ad emphyteutam ex natura contractus, §. 3 *l. de loc. cond. verb. naturalis contractus, pro quibus Hottom. Cujac. Giphon. substituunt, natura talis.* pertineat, totalis autem rei interitus ad dominum. Ex quibus omnibus satis apparet, nullum esse fundamentum dissentientium in *l. 1. C. d. r.* quia ad hoc, ut contractus aliquis mereat dici juris civilis, requiritur ut lex civilis aliquid circa substantiam ipsius disponat *l. jus civile 6. & ibi Dd. ff. de l. & l.*

8. Causa efficiens propinqua est consensus & conventio contrahentium. Nullus enim contractus, nulla obligatio esse potest, quæ non habeat in se conventionem, quod est juris expediti per *l. 1. §. 3. ff. de pact.* Certis autem quibusdam affectionibus & qualitatibus hic consensus ni sit præditus, vitiat & annihilat contractum, ut quantum ad effectus juris, perinde sit, ac si nihil esset actum. Ex hisce autem requisitis 1. est, quod debeat esse perfectus: quam perfectionem æstimamus ex ætate seu virili vigore & moribus contrahentium; excludimusque tum consensum nullum, qualis est in infantibus, furiosis & profundè ebriis: item in iis, qui ludendo per llocum quid promittunt *l. 3. §. in fin. ff. de O. & A.* tum imperfectum, qui in pupillis infantia & pubertati proximis, item in prodigis perspiciuntur.

B



tur. 2. ut sit purus & liber tūm ab errore, quia nihil tam contrarium est consensui quam error. *l. si per errorem. 15. ff. de lictio-  
ne. l. consensisse. 2. pr. ff. de judic.* tūm à coactione iniqua, quæ fit vi  
metuq; illato, tūm à dolo, qui si det causam contractui, reddit  
eum ipso jure nullum.

9. Ab efficiente fit transitus ad subjectum; siue ma-  
teriam in qua, quam constituunt personæ contrahentes, quæ  
se ad hunc contractum habent tanquam subjecta recipientia  
in se vel ad se quod testatur *Gadd. de contr. stip. c. 7. in pr.* Suntq;  
in genere, omnes qui contrahere & contrahendo de rebus suis  
ut velint disponere non sunt prohibiti. *Argument. l. nec non. 28.  
§. quod ejus. 2. ff. ex quib. caus. major.* Prohibentur verò alii naturā  
alii lege. Natura prohibentur hæ personæ, quæ plane nul-  
lum habent judicium, vel ob morbum, ut sunt furiosi, qui men-  
te & intelligentiā omniū animæ partium principe, destituuntur  
*l. in negotiis. s. l. furiosi. 40. de R. I.* vel propter ætatem, ut sunt infan-  
tes intra septennium. *l. 18. §. ult. C. de jur. delib. l. 1. §. sufficit. 2. ff. de  
administ. tut.* vel ob accersitum aliquod impedimentum, ut sunt  
profundè ebrii, usq; ad alienationem mentis poculis obruti,  
qui non sunt absimiles mente capto & infanti. *Gadd. de contr. stip.  
cap. 7. con. 11. n. 166.* Lege prohibentur quidam omnino & in to-  
tum, quidam in tantum. In totum prohibentur servi eos ce-  
lebrare contractus, qui sunt juris civilis, aut ita contrahere, ut  
exinde oriatur obligatio civilis. *l. in personam. 22. l. quod attinet. 32.  
ff. de R. I.* In tantum prohibentur hi, quorum quidem aliquis  
est consensus, sed adhuc imperfectus vel revera propter ætatem,  
ut in pupillis infantie & pubertati proximis, vel interpretatio-  
ne juris, ut in his, quibus bonis interdictum est, qui ita prohi-  
bentur contrahere, ut sine tutorum autoritate vel curatorum  
consensu emphyteusin neque constituere, neq; sibi acquirere  
possint.

10. Et ita quidem prædictæ personæ contrahere  
prohibentur, accidit tamen interdum, ut non obstante hac  
prohibitione nihilominus contrahant, quaritur ergo, an &  
quatenus quod ab iis actum est leges tueantur & ratū habeant?  
quod distinctè est explicandum. Nam siquidem hæ personæ  
contra-



33  
contrahant, quarum plane nullus est consensus, ut sunt infan-  
tes, furiosi & profundè ebrii, nihil prorsus actum intelligitur,  
quia ubicunq; deficit consensus, ibi nulla potest exsurgere obli-  
gatio. l. 1. §. 3. ff. de pact. Servus vero ut servus contrahens, na-  
turalem tantum contrahit obligationem quæ nullam parit de  
jure civili actionem d. l. 22. & l. 32. ff. de R. i. l. 14. ff. de O. & A. In re-  
liquis personis aliud de jure receptum est.

ii. Si itaq; pupillus infantiâ major sine tutoris au-  
toritate de facto contrahat, ipsi quidem qui cum eo contra-  
hant, obligantur, at non semper pupillus, quia meliorem qui-  
dem suam conditionem facere potest sine tutoris autoritate,  
sed non deteriolem. pr. Inst. de aut. tut. Quapropter distin-  
ctionis, fædere res tota est explicanda. Aut enim secundum  
prædictum modum contrahens pupillus factus est locupletior,  
hoc est, non pauperior. l. in pupillo. 47. §. 1. ff. de solut. aut non. Sin-  
prius, obligatur pupillus naturaliter. l. 9. ff. de aut. tut. obligatur  
item civiliter, verum non absolute. d. l. 5. de aut. tut. sed ratione  
effectus, quia nempe ex ista naturali obligatione post rescri-  
ptum D. Pii potest conveniri civili actione. Atque sic natu-  
raliter obligatur tum ob consensum, tum quia æquum est, ne-  
minem cum alterius jactura fieri locupletiolem. l. nam hoc natu-  
ra. 14. ff. de condit. indeb. l. si pupillus. 21. ff. de leg. Falcid. Hæc ratio  
movit D. Pium Imperatorem, ut, cum alias obligatio naturalis  
non nisi naturalem posset producere actionem, contra jus com-  
mune obligationi naturali civilem adscriberet effectum. l. na-  
turalem. 10. ff. de O. & A. l. fidejussor. 16. §. naturales. 4. ff. de fidejuss. l. ait  
prætor. 3. §. pupillus. 4. l. si pupilli. 6. pr. ff. de neg. gest. l. sed mihi. 3. pr. ff.  
commod. l. 1. §. at in pupillum. 15. ff. de pos. l. pupillus. 5. pr. in ff. de aut. tut.  
Si non factus sit locupletior pupillus, obligatur nihilominus  
naturaliter, propter consensum. Donell. ad l. 6. ff. de V. O. Pro-  
bant hoc i. textus ii omnes qui indistinctè loquuntur, pupil-  
lam sine tutoris autoritate contrahentem obligari naturaliter,  
ut sunt: l. 1. §. 1. ff. de novation. l. si ejus pupilli. 64. pr. ff. ad sc. Trebell. l. si pu-  
pillus. 21. ff. ad legem Falcid. l. in numerationibus. 44. §. 1. ff. de solut. l. obli-  
gari. 43. ff. de O. & A. 2. est textus expressus in l. cum illud. 25. §.  
1. ff. quando dies legat. 3. Succedit juris ratio, quia isto casu ob-  
tinet



tinet fidejussio. *l. si pupillus. 127 ff. de V. O.* omnis autem fidejussio  
præsupponit obligationem firmam § *in omnibus. 1. I. de fidejussor. l.*  
*16. ff. ead.* ex quo sequitur, pupillum fuisse obligatum. Præsuppo-  
sito hoc, quod pupillus quando non est factus locupletior ni-  
hilominus naturaliter propter consensum obligetur, nunc ul-  
terius dicimus istam obligationem, quod ad personam pupilli  
attinet, destitui omni effectu ( per effectum hic intelligimus, ut  
quis aliquo jure, vel gentium vel civili, ad solutionem ejus, quod  
debet, possit cogi ) in causa est ætas pupillaris, multum in jure  
favorabilis, cui hoc specialiter contra juris communis tenorem  
est tributum. *l. interdum. 29. ff. de condict. indeb.* ita, ut si pupilli ex  
contractu de facto solverint, habeant conductionem indebiti,  
& licet is cui solutum est objiciat, subesse naturalem obligatio-  
nem, quæ impedimento solet esse conductioni. *l. nam & mari-  
tus 9. l. frater à fratre. 38. ff. de condict. indeb.* replicare tamen potest  
ex persona pupilli procurator, hoc regulare esse, sed in persona  
pupilli ob privilegium ætati tributum cessare. Huc faciunt &  
secundum prædicta exaudiendi sunt textus illi omnes, quibus  
dicitur pupillum sine tutoris autoritate contrahentem non ob-  
ligari naturaliter, ita ut omnes de effectu obligationis accipian-  
tur, veluti sunt, *l. quod pupillus. 59. ff. de O. & A. l. obligari. 9. ff. de aut.  
tut. l. quod pupillus. 41. ff. de condict. indeb.*

12. Quæ hæcenus dicta sunt de pupillo sine tutoris  
autoritate contrahente, eadem etiam ferè obtinent quoad pro-  
digum, sic ut sine curatoris sui consensu sese aliis obligare non  
possit, non verò si consensum ipsius adhibeat, quia tunc quod  
prodigo ad contrahendū deest, supplet curator, aut lex deficien-  
te curatore. *l. certi 9. §. sed si. 7. ff. de reb. cred. Gadd. de contrab.  
stip. cap. 7. concl. 10.* Et quamvis hic comparetur interdum fu-  
rioso, ejusque perinde ut furiosi voluntas dicatur esse nulla.  
*l. 40. ff. de R. I.* id tamen secundum quid saltem intelligendum,  
scilicet quoad sese obligandi & alienandi facultatem, quia  
quod ad bona eorum attinet, furiosum habent exitum. *l. his  
qui. 12. §. ult. ff. de tut. dat.* quo in sensu furioso etiam pupillus  
æquiparatur. §. *sed quod diximus. 10. Inst. de inutil. stipul. cum  
tamen*



tamen certum sit, quoad sese cum tutoris auctoritate aliis obligandi facultatem, disparis eos esse conditionis. *pr. Inst. de aut. tut.* argumentum ergo petatum à furioso ad prodigum, fallacia dicti secundum quid laborare cernimus, quod & patet ex *l. is cui bonis. 6. ff. de Verb. Obligat.* & *d. l. certi conditio. 9. §. sed & si ei numeraverat. 7. ff. de reb. cred.*

13. Et hæc, qua in prodigo & pupillo obtinent, non per omnia possunt accomodari ad minorem, nam hic sine curatore contrahens, efficaciter obligatur. *l. puberes. 101. de V. O.* Positis enim causis sufficientibus, nec effectum producere impeditis, necessario ponitur effectus. Atqui in minore contrahente, omnes causæ ad producendam obligationem sunt positæ, nec obligationem illam producere impediuntur, quod probatur, quia omnia substantialia contractus, nempe consensus perfectus & synallagma, sive causa obligandi adsunt: quod posterius est extra controversiam, prius in dubio; probatur tamen exinde, quia ademptio administrationis non tollit jus obligandi, sed saltem effectum obligationis, nempe exactionem & solutionem, ita ut minor qui administrationem bonorum non habet, id est, propter quod obligatus est, solvere non possit; sicuti igitur differt causa ab effectu, ita etiam obligatio à solutione; obligatio enim ut causa præscribit solutioni modum & formam. Jam vero causa ab effectu ita differt, ut possit à sua causa efficaciter produci, quamvis suum deinde effectum producere nequeat. Eleganter hæc explicat *Hillig in Donel. enuc. lib. 12. c. 22. lit. q. in not.*

14. Extra hos ergo qui prohibentur, reliqui omnes emphyteusim constituere & accipere possunt, modo sint pleni rerum Domini & liberam administrandi facultatem habeant: nec refert, utrum sit privatus quispiam §. *ad deo. 3. l. de loc. cond. t. t. C. de jur. emph.* vel Princeps, qui de bonis propriis seu patrimonialibus liberè disponere potest *l. bene à Zenone. C. de quadr. præscript.* vel civitas aut municipium, cum & his permissum sit fundos publicos, situ squallidos, certis personis in emphyteusim concedere, ut eos cultiores efficiant.

B 3.

l. i. ff.



*l. i. ff. si ag. vect. l. si Dominus. 71. §. ult. ff. de leg. 1. l. si finit a. 15. §. si de vecti-  
galibus. ff. de Damn. infect. Vel deniq; Ecclesia. N. 7. c. 3. N. 120. c. 5.  
& 8. cujus nomine Prælati aut Oeconomus debitis interveni-  
entibus solennitatibus emphyteusin constituit. Ratio quare  
possint hæ & similes personæ constituere emphyteusin est, quia  
si possunt facere id quod majus est, nempe res suas in totum ali-  
enare, cum sint liberrimi rerum suarum administratores & ar-  
bitri *l. in re mandata. 21. C. mand.* (quod tamen in rebus ecclesiæ  
alienandis restrictum est ad solum casum necessitatis. *l. jubemus.  
14. & auth. hoc jus porrectum & seqq. C. de SS. Eccles.*) quidni pos-  
sint onus aliquod rei suæ imponere, & quod minus est. Sed  
hinc emergit quæstio: An qui emit prædium ea lege ut quan-  
doque illud rursus alienaturus jus prælationis alicui ex familia  
prioris venditoris faciat, possit illud dare in emphyteusin ex-  
traneo; Negandum putamus; tametsi enim in dubio videri pos-  
sent contrahentes de tali sensisse alienatione, de qua inter ip-  
sos tempore initæ venditionis agebatur, tamen cum contrariū  
sit decisum in *l. fin. C. de reb. alien. non alien. nostrum non est a te-  
xtu aperto recedere.**

15. Objectum sive materia circa quam juris emphy-  
teutici, est res soli sive immobilis, pleno jure in domino con-  
stituentis existens. Ab initio quidem hujus contractus veri-  
simile est in solis prædiis rusticis, *tit. ff. si ag. vect. l. lex vectigali. 31. ff.  
de dignor. & hypoth. Donell. lib. 9. comm. cap. 13.* & quidem sterilibus  
fuisse constitutum jus emphyteuticum, argumento nobis est  
ipsum nomen emphyteuseos, quod plantationem & sationem  
significat, ut supra dictum est. *Mys. ad §. adeo. 3. l. de loc. cond. nam*  
cum olim ob frequentiores hostium incursiones & deprædatio-  
nes prædia desererentur, Reipublicæ autem interesset ea non ja-  
cere inculta, inventum est ejusmodi contrahendi genus per  
quod reipublicæ subveniretur. *Covas. ad rub. C. de jur. emph.* Suc-  
cessu tamē temporis cum crebrior esset usus hujus contractus e-  
venit, ut id ipsum jus nō respuerent etiam ædificia & prædia ur-  
bana, *l. 15. §. 26. ff. de dam. infect. N. 120. c. 1. Hillig. in Donel. enus. lib. 9. c.  
13. lit. D. in not. Herm. Vult. ad §. 3. Inst. de loc. cond. n. 2.* ut & agri per  
se satis fertiles & culti, ne fortè, si deserantur, fiant rursus in-  
culti.



33  
culti. *Bacov. class. 2. disp. 14. tb. 12.* Dicitur autem istud prædium,  
nunc ager emphyteuticarius. *l. 2. vers. sic autem. C. de jur. emph.*  
nunc ager vectigalis, item fundus vectigalis. *l. in conventionibus.*  
*129. ff. de V. S. l. 1. C. de admin. rer. pub. lib. 11.* qua occasione quæri so-  
let, An fundus vectigalis ab emphyteuticario differat? Nega-  
mus, si spectes promiscuum harum vocum usum. *rub. & l. 1. ff. si*  
*ag. vect. l. sciendum. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. si tutoris. 23. ff. de administ.*  
*tut. Henon. disp. Inst. 16. tb. 19. Borcholt. de feud. c. 3. Hillig. in Donell. enuc.*  
*lib. 9. c. 13. lit. d. in not.* Affirmamus, si proprietatem. Ager enim  
vectigalis, qui populo Romano olim is erat, qui ab hoste ca-  
ptus, vectigalibus subiciebatur; mancipibusq; communiter vel  
in singula lustra vel in annos centum locabatur. *Briffon. de form.*  
non continuus erat emphyteuticarius, poterat enim vel per  
contractum censuarium, vel per locationem vel simile aliud  
contrahendi negotium alicui concedi. Sic etiam vectigalis ager  
non est omnino idem cum agro hominis privati in emphyteu-  
sin dati. *l. 1. ff. si ag. vect.* quantumvis enim in hoc convenient,  
quod uterq; ad recipiendum jus emphyteuseos sit habilis, diffe-  
runt tamen in eo, quod vectigales agri sint populi Romani, a-  
deoq; prædia publica, non privata, cui rei argumento esse po-  
test ipsa vectigalium natura, quorum causa est publica, nec pri-  
vatus ut privatus vectigalia habere potest, cum illorum consti-  
tutio sit de reservatis summi principis. *l. vectigalia. 10. in pr. ff. de pu-*  
*blican. & vectigal. tit. C. vectig. nov. inst. non pos. Myns. obs. 29. cent. 5.*  
Hanc opinionem tuentur *Anton. Faber. 20. conject. 11. Connan. lib. 7.*  
*comm. cap. 12. n. 7. Fachin. 1. contr. 69. Coras. ad l. ei. 16. de servitut. n. 20.*  
*Gedd. au l. 27. n. 19. de V. S.*

16. Rebus hisce immobilibus connumeramus res  
& jura solo ita cohærentia, ut ab eo vel omnino non, vel non  
utiliter segregari queant. *Schrad. in tr. feud part. 3. cap. 2. n. 5.* cujus-  
modi sunt fructus pendentes, item arbores. *l. fructus. 44. ff. de R. V. l.*  
*si fraudator. 25. §. fructus. 6. ff. quæ in fraud. cred. l. quæsitum est. 12. §. ea*  
*vero. 11. ff. de instr. vel. inst. leg. Omnia ædificiis affixa. l. 13. §. ult. cum*  
*l. seqq. de act. empt.* Servitutes, tam rusticorum quam urbano-  
rum prædiorum. *§. aded autem. 3. l. de serv. præd. rust. l. 1. §. 1. ff. com-*  
*mun. præd.* Jus in flumine piscandi, venandi aucupandi. *Vdal.*

Zas. im



*Zas. in epit. jur. feud. part. 4. n. 2. & 19.* quæ omnia & his similia ve-  
niunt quidem in emphyteusin, sed saltem per consequentiam,  
non principaliter, dato scilicet in emphyteusin solo, cui adhæ-  
rent. *argument. l. quadam. 62. ff. de A. R. D. Schrad. d. part. 3. c. 2. n. 5 Valasc.*  
*de jur. emph. quest. 12. n. 3.*

17. Excludimus itaque à contractu emphyteutico, r.  
res mobiles, aut se moventes, idque ob naturam hujus con-  
tractus, ut vult *lason in l. 1. n. 101. C. h. n. r.* Ex natura quippe &  
substantia emphyteuseos est, non nisi in rebus consistere im-  
mobilibus, quia hæ solæ aptæ sunt ad recipiendam culturam  
& meliorationem, cæteræ res, usu diuturno aut deteriores effi-  
ciuntur, aut in totum consumuntur. *l. lex qua. 22. in fin. C. de admi-  
nist. tut. l. 1. & 2. ff. de usufr. ear. rer. qua usu consum.* Et hæc est vera  
ratio, ob quam res mobiles non recipiunt jus emphyteuticum,  
non hæc; quia in re mobili utile dominium à directo non ita fa-  
cile potest distingui, aut, quia res mobilis perpetuum aut diu-  
turnum usum non præstat, nam huic rei occurri posset per cau-  
tionem, sicuti hoc fieri videmus in usufructu earum rerum, quæ  
usu consumuntur, ubi cautio succedit in locum proprietatis.  
*Valas. de jur. emph. quest. 12. n. 11. 2.* Ex rebus immobilibus remove-  
mus illas, quarum quis non plenum habet dominium, ut sunt  
r. feudum, tum quia omnis feudi alienatio regulariter est prohibi-  
ta. *lib. 4. feud. tit. 44.* Concessio autem in emphyteusin, est quædam  
alienatio. *N. 7. cap. 1. §. alienationis autem. l. fin. C. de reb. alien. non a-  
lien.* tum quia vasallus non est pleno jure dominus, habet enim  
tantum jus utendi fruendi. *lib. 2. feud. tit. 23. 2.* pro parte excludi-  
mus bona majoratus, sive fideicommissa familiæ conservan-  
dæ causa relicta, vulgo *Stamgütter* ratio est, quia tametsi is, qui  
nunc possidet, verus sit Dominus, ex voluntate primi constitu-  
entis, liberam tamen per omnia de iis disponendi facultatem  
non habet, unde illa in extraneum transferre, aut emphyteusin  
in iis extraneo constituere, nullo modo potest, quia regulariter  
ejus modi bonorum alienatio est inhibita. *l. fin. §. 2. & seq. auth.*  
*qua res. C. comm. de legat. l. peto. 69. §. prædium. 1. ff. de legat. 2. l. penul. §.*  
*instituto 15. ff. eod.* tum quia exacto primi constituentis jus quod-  
dam proximis agnatis in iis bonis est quæsitum, quod iis ab an-  
tecessore



recessore nulla ratione interverti potest, nisi gravissima urgeat necessitas. *Gail 2. Obs. 137.* Quin imo, si alicui ex familia ejusmodi bona dederit in emphyteusin, non tamen ei, qui post mortem, ex dispositione primi, erat successurus, mortuo eo, emphyteusis deperit, quia hic non jure hæreditario, sed vi pacti specialis prædefuncto succedit.

18. Forma contractus emphyteutici vel essentialis est, vel accidentalis. Illa rursus vel generica, vel specifica. Generica forma, emphyteusi cum omnibus aliis contractibus communis, est ipsum synallagma, sive obligandi negotium, vel causa, quæ permovet jus civile, ut, sicuti reliquis contractibus, ita & huic assisteret, eundemq; ut validum justumq; contractum certâ obligatione & dehinc pendente actione muniret. *l. jurig. n. tum. 7. §. 2. & 4. ff. de pactis.* Specifica forma, per quam hic contractus ab omnibus aliis discernitur, obtingit emphyteusi propria & peculiaris, non tamen ex lege Zenonis, sed ex jure gentium, sicuti hoc superius demonstratum; Cum enim hic contractus apud alias gentes non esset infrequens, facile exinde factum, ut certa & distincta minimeque confusa eidem tribueretur forma, quæ, tametsi plerisque fuerit incognita, antequam ferretur lex Zenoniana, quin tamen ante eam revera exstiterit, dubitare nō licet, præsertim cum nomen hujus contractus proprium & peculiare, quod tamen solet desumi & dependere à forma specifica, semperque illam insequitur, nunquam antecedit, floruerit ante tempora Zenonis, uti hoc evictum est supra, th. 4.

19. Consistit autem forma specifica in solo contrahentium tractatu, verbis ultro citroq; vel inter præsentis, vel absentes factis, qui perficitur, simulatque placatis ab altercatione omni mentibus, inter dominum, de re in emphyteusin danda, & emphyteutam de re accipienda, & in recognitionem directi Domini, de pensione certa quotannis solvenda convenit. *Wesemb. in par. ff. si ag. vect. n. 2. Herm. Vult. in. Jurispr. Rom. lib. 1. cap. 36. in fin.* Sed durum fortasse cuiquam videbitur, quod dictum est, in solo consensu & conventionem substantiam contractus emphyteutici subsistere, cum à plerisque insuper scriptura requiratur, ut pars essentialis, ita ut si ea deficiat, ipsum contractum

C



tractum laborare & vi sua destitui necessum sit: Verum respon-  
demus, quod leges ad substantiam rei alicujus non requirunt, il-  
lud nec nos requirere debemus, erubescimus enim sine lege lo-  
qui. N. 18. c. 5. pr. Iam vero nusquam leges ad hujus aut similibus  
contractuum substantiam scripturam requirunt. l. in re. 4. ff. de fid.  
instr. l. contrahitur. 4. ff. de pignor. & hypot. l. contractus 17. C. de fide in-  
strum. quapropter ab iisdem etiam nullo modo recedimus. Huc  
facit, quod in §. adeo. 3. Inst. de locat. Imperator nullam facit men-  
tionem scripturæ, cum tamen naturalia hujus contractus, quæ ex  
lege Zenonis eidem accesserunt, ut sunt interitus rei particula-  
ris & totalis, ibidem recenseat. Iam vero, cum substantialia rei  
alicujus sint potiora naturalibus, utpote quæ rem constituunt  
solum in qualitate, cum illa rem constituent in quidditate, ut  
loquitur Andr. Dinner. in suo tr. de justo rer. pretio defin. quest. 1. veri-  
simile non est, Imperatorem in primis legum elementis, in qui-  
bus sese accommodavit potissimum ad captum discentium, præ-  
termisisse ea, quæ concernunt rei alicujus substantiam & in il-  
lorum locum substituuisse ea, quæ substantiam constitutam in-  
sequuntur. VVesemb. in par. ff. si ag. vet. n. 2. ubi hanc opinionem com-  
munem esse testatur. Herm Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 36. in fin. Leopold.  
Hackelm. disp. illust. quest. 11. th. 14. lit. b.

20. Verum utut hæc ita se habeant, à dissentienti-  
bus tamen urgeri solent postissimum verba (scriptura inter-  
veniente) quæ habentur in l. i. C. de jur. emph. dum ita concludunt:  
Adesse ibi duos ablativos, quorum ea sit vis & natura, ut im-  
portent conditionem. l. 35. ff. de evict. l. ab emptione 18. ff. de pact. l. à  
testatore. 109. ff. de condit. & demon. Natura autem conditionis  
est quod impleri debeat præcisè & quidem in forma specifica.  
l. 44. l. 55. ff. de condit. & demonst. Nam quod ibi habeantur duo abla-  
tivi, in aperto est: verum quod ea sit vis & natura duorum abla-  
tivorum, ut importent aliquam conditionem, quod illi multo-  
rum quidem haut postremæ eruditionis lectorum applausu asse-  
verant, illud in quæstione est, quod nos negamus, & ad ad-  
ductas leges, in iis fallaciam non causæ ut causæ committi, re-  
spondemus: Ex accidenti enim hoc est, quod in prædictis legi-  
bus conditio sit expressa duobus ablativis, non ex natura & vi  
specialiter



specialiter ipsis indita, idq; probant textus alii plures in quibus vim eam cessare animadvertimus, ut sunt, l. 2. §. exactis. 2. ff. de Orig. jur. act. 9. l. si mandatu. 45. §. ult. verb. sequenti mandato. ff. mand. vel contra. l. nam quod. 4. §. ult. ibi: excepto vino. ff. de pen. legat. l. qui fidem. 16. verb. rato manente pacto ff. de transact. l. moribus. 2. pr. in fin. ibi. filio precedente. ff. de vulgar. & papil. substit. l. 1. pr. ver. rate expugnata. ff. de incend. Iohan. Coras. epistol. quæst. c. 14. Ex quibus apparet, Imperatorem in d. l. 1. non exigere scripturam, utpote quæ purum accidentale est, & solum ad bene esse non vero ad simpliciter esse facit, sed eam esse ipsius mentem, ut jubeat scripturam, si quæ intervenerit, vel ab initio, vel post celebratum contractum, ad faciliorem directi domini probationem, custodire.

21. Hæc quæ modo dicta sunt, ita quidem regulariter & indistinctè obtinent in seculari sive civili emphyteusi, sed non æquè in Ecclesiastica. Nam ad hujus constitutionem ab initio præter ea, quæ communiter desiderantur, requiruntur insuper certæ solennitates, veluti jusjurandum Oeconomi & eorum quorum interest, quod hoc non evadat divinæ domui nocumento, *auth. perpetua. C. de SS. Eccles. consensus capituli auth. hoc jus porrectum. C. d. t. & ibi Gothofr. item scriptura. l. 14 §. fin. ibi. atque conscribat. auth. seq. C. de SS. Eccles. N. 120. c. 5. & 6. §. licentiam igitur. VVesemb. cons. 59. Boter. clas. 1. disp. 14. th. 21.*

22. Ex præcedentibus satis apparet, emphyteusin absque pensionis certæ constitutione & definitione nullam esse transferret enim in meram & puram donationem, à qua tamen toto cælo distat. Dicitur alio nomine pensio ista canon, l. fin. §. necessitatem. C. de jur. emph. auth. qui rem. C. de SS. Eccles. præstatio annua, emphyteuma, emphyteuticum vectigal. N. Leon. 13. & est id ipsum, quod constitutâ jam emphyteusi, ab emphyteuta in recognitionem & testimonium domini adhuc penes constituentem extantis, solvitur, consistitq; non solum in pecunia numerata, verum etiam in re quavis alia fungibili, vino, oleo, frumento &c. *Valas. de jur. emph. quæst. 1. n. 7. Schneid. ad §. 3. I. de loc. cond. n. 4. Coras. ad l. 2. C. de jur. emph. n. 9.* Hinc emergit difficilis & anceps quæstio: An, si in definitione pensionis ex ignorantia fortè justii pretii facta, ultra partem dimidiam læsus fuerit vel



vel dominus vel emphyteuta locus sit beneficio l. 2. C. de rescind. vend. Aff. cum *Treit. vol. 2. disp. 2. th. 12. tit. 6. & Fachin. 2. controu. cap. 22.* per rationem desumptam ex interpretatione & ampliacione d. l. 2. quæ communiter ab interpretibus juris, ob identitatem rationis, extendi solet ad contractus omnes bonæ fidei : Emphyteusin autem contractibus sionæ fidei annumerandam esse, supra th. 4 ostensum fuit. Quo spectant etiam leges illæ, quibus caveturi succurrendum esse in contrahendo graviter læsis ac deceptis. *l. si superstite. 5. C. de dolo. l. maioribus. 3. C. commun. utriusq. jud.* Si itaq; hujus modi emergat inter dominum & emphyteutam contentio, in cognoscenda læsione, boni viri arbitratu facienda erit æstimatio ipsius juris emphyteutici, sepositâ dominii directi ratione, ubi ad varias & multiplices respiciendum erit circumstantias: Habenda enim est ratio, tum casuum fortuitorum, quorum periculum magnâ sui parte emphyteutam sequitur, tum meliorationum, ad quas vi initi contractus emphyteuta obligatur, quibus omnibus probè ponderatis, postmodum de læsione constabit, quæ si dimidium justipretii excesserit, tunc dominus, aut emphyteuta agere poterit, aut ad complementum justipretii, aut ad rescissionem contractus & restitutionem pensionis, si, quid fortè indebitè fuerit solutum.

23. Prædictæ quæstioni succedit alia, non minus elegans & perplexa disquisitio, qua quæritur: Utrū pactio de certo pretio, ultra pensionem ab initio hujus contractus domino præstando, necessaria sit? Negantibus subscribimus. Hoc enim planè foret iniquum, si præter meliorationem, quæ fit in compensationem fructuum, etiam exigetur pretium certum. Accedit, quod hujusmodi pactio inverteret substantiam contractus emphyteutici, faceretq; ut is, aut in emptionem venditionem, aut contractum aliquem innominatum deflecteret, ut taceam, in hoc potissimum consistere discrimen inter contractum libellarium & emphyteusin, sicuti infra dicemus.

24. Et hæc fuit forma specifica contractus emphyteutici, quâ mediante ut plurimum alicui jus emphyteuticum solet constitui. Verum præter hanc formam, sunt etiam alii modi



constituendi emphyteusin, quos non licuit hac vice sicco prætere-  
rire pede, cum sæpius accidat, ut & illorum sit habenda ratio.  
Sunt autem illi; Ultima testatoris voluntas & Præscriptio, qui-  
bus alii adjiciunt successionem, sed malè quantū opinamur. Per  
successionem enim emphyteusis non constituitur, sed constitu-  
ta, continuatur, conservatur & ad posteros propagatur. *Bachov. in  
not. ad Treut. disp. 29. th. 19. lit. e.* Testamento acquiritur jus emphy-  
teuticum, veluti, si testator alicui in ultimo suo elogio fundū le-  
get, eā lege, ut apud eum emphyteuseos jure existat, certā in  
singulos annos pensione constitutā. Si enim quis alicui rei suæ  
dominium, usufructum & alia jura relinquere potest, quid ni  
etiam jus emphyteuticum, ita concludit. *Donel. lib. 9. comm. 6. 13. Ob-  
recht. disp. de jur. emph. th. 59.* Sed utrum ejusmodi dispositio nar-  
turam legati proprie sic dicti obtineat, non per omnia expedi-  
tum est? Notum enim est, ad constitutionē simplicis legati suf-  
ficere solam testatoris liberalitatem, hoc vero nostro in casu, ut  
obtineat legatum, requiritur, ut accedat consensus legatarii, cu-  
jus rei ratio hæc est, quia si nemo invitus obligari potest. *l. qui in  
aliena. 6. in pr. ff. de acquir. vel amit. hered. l. Imperator. ff. de contrab.  
empr. l. nec emere. C. de jur. delib. l. sicut. C. de Obl. & Act. sequitur, non  
valere legatū, nisi ubi professus fuerit emphyteuta, sibi legatum  
& pensionem placere. Clar. in §. emphyteusis. quest. 4. quio ex hoc  
negotio oritur obligatio ad solvendam pensionem.*

25. Vidimus quemadmodum per modum legati consti-  
tuatur emphyteusis; dispiciamus nunc etiam de præscriptione.  
Contingit vero ea, ex tacito quasi domini & possidentis consen-  
su, veluti, si à non Domino bonā fide prædium in emphyteusin  
acceperim, egoque per longum & prælixum tempus, triginta  
aut 40. annos puta, in quasi possessione istius juris fuerim: aut  
si ego prædium à vero domino per longum tempus possede-  
rim, solvendo annuatim emphyteuma, posteaque de causa ex  
qua ego hæctenus possederim, non constet, præscriptione me  
tueri possum. *l. litibus 20. C. de agric. & censur. lib. 11. l. fin. C. de fund.  
patrim. tametsi ipsi proprietati præscribere non possim l. cum no-  
tissimi. 7. §. ult. C. de præscrip. 30. vel 40. ann. nisi in casu ubi facto ali-  
quo novo interversa fuerit domino possessio. Wesen. ff. si ag. vect.  
pet. in n. f. 26.*





Ubi tamen specialiter observandum, si de more regionis non constet, utrum in ea frequentior sit censiticus, quam emphyteuticus contractus, bona pro censiticis potius, quam emphyteuticis esse habenda, quia in dubio quis præsumitur ex titulo minus oneroso possidere. per *l. semper. 9. ff. de R. I.* cuiusmodi est contractus censiticus, ex quo non tantum utile sed & directum transfertur dominium. Hanc de jure civili communem, approbat etiam *constitutio Electoris Augusti. par. 2. const. 40.*

26. Accidentalem formam contractus emphyteutici, pacta contrahentium specialia constituunt. *l. 1. § si convenerit. 6. ff. depos. facta, non de substantialibus contractus, hæc enim sunt immutabilia. l. neq; ex prætorio. ff. de R. I.* sed de naturalibus & administrativis contractuum. Quæ pacta ejus sunt naturæ & conditionis ut una cum re emphyteutica transeant ad successores, nisi specialiter ad personam primi constituentis tantum sint directa. *argument. l. sicuti. 8. §. si debitori. 16. quib. mod. pign. solv.* Unde pro varietate qualitatum, quæ contractui ex legis dispositione insunt, etiam si de iis non fuerit inter contrahentes aperte actum, variat etiam forma accidentalis. Sic ex natura contractus est temporis perpetuitas. *§. adeo. 3. Inst. de locat. cond. in verb. de prædiis quæ perpetuo quibusdam & c. l. 1. & seq. ff. si ag. vect. pet. l. 3. C. de fund. patrim. l. 1. C. de offic. com. sac. pal. ubi. vocatur jus perpetuarium. Bacho. in not. ad Trent. d. disp. 29. th. 9. lit. R.* Itaq; si de tempore, quousq; res debeat esse concessa in emphyteusin, aperte nihil fuerit actum, res intelligitur concessa in emphyteusin perpetuam. *Accurs. ad l. ult. ff. si ag. vect.* Ubi quaeritur: Si de mente contrahentium, non constet, an emphyteusin celebrare, an vero aliud negotiū inire voluerint, an sufficiat, ex sola temporis perpetuitate vel diuturnitate inducere & præsumere contractum emphyteuticum? N. quia in dubio semper uniuscujusq; contractus initium spectandum & causa. *l. si procuratorem. 8. ff. mand. quare etiam hoc loco iudicium desumendum ex canonis constitutione & reliquis substantialibus contractus emphyteutici. Henon. disp. Inst. 16. th. 18.*

27. *id.* Supervenientibus itaq; pactis contrahentium, videndum quidnam actum sit, nam si quidem nihil pacti fuerint de tem-



de tempore, tam civilis, quam ecclesiastica concessa intelligitur in perpetuum. Quod ita quidem indistinctè ab initio obtinuisse verisimile est, postmodum verò favore Ecclesiarum aliud est receptum, nimirum, ut perpetuitas temporis in re ab Ecclesia in emphyteusim concessa, locum non habeat. N. 7. cap. 3. quod iterum per recentiorum N. 120. cap. 1. restrictum est ad solas res Ecclesiæ majoris, Constantinopolitanæ puta, & reliquarum Domuum venerabilium eidem subjectarum. Atq; ita secundum naturam emphyteuseos Ecclesiasticæ erit, eo in casu ubi nulla facta fuerit mentio temporis, transire ad solos descendentes. Ita sentiunt Iul. Clar. de jur. emph. quest. 28. n. 1. Georg Obr. disp. de jur. emph. th. 91. Caterum hæc natura contractus emphyteutici temperari potest à contrahentibus, ita ut civilis emphyteusis etiam ad tempus & ecclesiastica in perpetuum constituantur. l. ult. ff. si ag. vect. N. 120. c. 1. & auth. perpetua. C. de. SS. Ecclesi. Ex placito & voluntate contrahentium quoque nonnunquam ea solent apponi, quæ legis necessitatem non habent, ejusmodi est scriptura, quam utilem esse, quia memoria hominum est labilis & bulla. l. peregre. in pr. ff. de acquir. poss. & frequentem in praxi, animadvertimus, idque ideo, quo facilius quandoque, occasione ita ferente, dominus directus dominium suam probare possit. argument. l. 1. & 2. C. de jur. emph. 28. Finis hujus contractus ex parte dantis ab initio fuit, ut agri inculti, steriles & situ squalidi redderentur cultiores & fructuosiores. Obrecht. de jur. emph. th. 45. qui tamen finis non usquequaque hodiè attenditur, videmus enim prædia per se satis fructuosa hodiè in emphyteusim dari. Ex parte accipientis, ut is re oblata uti & frui possit. Wesemb. in par. ff. si ag. vect. 29. Effectus constitutæ emphyteuseos respicit contrahentes, vel conjunctim, vel separatim. Conjunctim quidem ad utrumq; contrahentium pertinet obligatio & ex obligatione actio. Per obligationem domini rei suæ hoc jus imponens stringitur ad hoc, ut re, de qua ab initio cõvenit, emphyteutæ tradat & sic possessionem in eum, una cum plenissimo jure utendi fruendi, h. est, ipsam utile possessionis Dominium & jus sibi habendi transferat. Non requirimus in hoc contractu, ut statim ab initio interueniat traditio



traditio, sed sufficit, si ex post facto accedat. Quod si ergo simul atque de re & pensione conventum, nondum autem traditio facta fuerit, dominus, alia de causa motus, prædium alteri vendat & tradat, non poterit conveniri ad rei ipsius præstationem, sed actione saltem in personam, ad id quod interest.

*Donell. lib. 9. comm. c. 13.*

30. Emphyteuta e contra tenetur: i. ad solutionem canonis sive pensionis, cuius solutione hoc agit, ut recognoscat accipientem dominum, in cuius incrementum & emolumentum vectigal solvit. Et quoniam secundum naturam contractus est, ut emphyteutam, cã ratione, quã dominus efficitur, respectu nimirum domini utilis, respiciant damnum particulare & casus fortuiti, quibus tota rei substantia non tollitur. §. 3. I. de loc. l. 1. C. b. n. t. Item, ut modicum & exiguum aliquid, non vero justum fructuum pretium in recognitionem domini præstet *Gail. 2. Obs. 23. n. 25.* ideoque præsupposito hoc: Si notabile aliquod contingat damnum, veluti, si insignis aliqua exoritur sterilitas, & talis sit emphyteuta, qui non exiguam, sed magnam pensionem solvat, quæritur, an pensio ipsi sit remittenda? Et quanquam, si rigorem & superficiem verborum solum spectemus d. §. 3. *Inst. de loc. cond. & l. 1. C. de jur. emph.* id omnino negandum videatur, contrarium tamen quod & verius putamus, suadet ipsa æquitas *l. ex conducto. 15. §. si uno. 4. & ibi gl. ff. locat.* Nam si præstetur pensio quodammodo fructuum æstimationi respondens, egreditur ea res notissimos terminos emphyteuseos, & magis in locationem conductionem inclinat quam contractum emphyteuticum. *Bart. in l. omnes populi. in 6. quest. de l. & l. quia hoc est de emphyteuseos substantia,* ut dominus compenset cum melioramentis, non vero cum canone, argumento ipsius vocis emphyteuseos. *Aurel. Corb. tract. emph. c. 15. ampl. 12. n. 35. & seqq. & ail. 2. obs. 23. n. 24. & seq.* Quod si ab hostibus occupatum sit prædium vel inundatione ita corruptum, ut possideri nequeat, multo magis ipsi liberationem pro eo tempore, per quod possideri non potuit, concedimus: Licet enim revera & naturaliter res ipsa in totum non deperierit, civiliter tamen ita deperit, ut peinde sit, ac si amplius non extaret. *l. cum unus. 12. §. fin. ff.*



*fin. ff. de reb. aut. jud. possid. Bachov. in not. ad Trent. disp. 29. h. 7. lit. f. vol. 1.* nec enim dominus patientiam utendi fruendi præstare potest, nec quicquam omnino habet emphyteuta ex eo fundo amplius, ac si verè non extaret. *Fachin. 1. contr. 90.* Præscribi autem futuræ canonis solutioni nullo modo posse statuimus, quia ejus solutio est de substantia juris emphyteutici. *Accurs. ad l. comperit. C. de præscrip. 30. vel 40. annor. Fachin 8. cont. 99.*

31. 2. Emphyteuta obligatur ad præstationem onerum & functionum publicarum, cujusmodi sunt, vectigal, tributum, collectiones ad refectionem viarum &c. *l. 2. C. h. n. t. l. si pendentes. 27. §. si quid. 3. ff. de usufr. ratio est, quia hæc onera quemcunque possessorem sequuntur. l. Imperatores 7 ff. de publ. & vect. ergo multo magis emphyteutam. l. 15. §. 1. ff. qui satindar. cog. utpote qui jus in re habet possessore longè majus & fructuosius. Quod si itaq; possideat prædium immune & liberum à collectis, cujusmodi sunt prædia Ecclesiastica. l. placet. 5. C. de SS. Eccles. l. omnium. 2. C. de Episcop. & cler. tum, etsi persona sit secularis, adeoq; ob noxia tributis & oneribus personalibus, respectu tamen istius prædii non tenebitur fisco: quia quoties dominus non tenetur ad collectas, toties nec emphyteuta. l. privata. 10. C. de excusat. immune. Excipimus tamen collectas extraordinarias & quas extrema exigit excessitas, quas etiam clerici præstare tenentur, ut sunt, quæ ad defensionem publicam exiguntur. *Trent vol. 1. disp. 29. h. 10. in fin.* Exsolutis autem tributis, tenetur domino quotannis præstare functionum publicarum apochas, sive scripturas, per quas quis profiteretur, pecuniam sibi debitam vel tributum esse exsolutum, de quib. *in tit. C. de apoch. pub.* una cum oblatione pensionis, ad majorem securitatem contra fiscum; ita enim functionibus hisce obnoxia sunt prædia, ut etiam ratione exacti temporis, qui nunc possidere cepit, teneatur. *d. l. 7. ff. de pub. & vectig. 3.* Obstringitur emphyteuta, vi initi contractus, ad meliorationem; formam tamen rei immutare invito domino, etiam si res fieret melior, non potest. *l. si cuius. 13 §. sed si. 3. t. usufructu legato. 7. §. fin. & l. seq. l. usufructuarius novam. 44. ff. de usufr. Gail. 2. Obs. 67. n. 11. Iason. in l. 1. C. h. t. n. 99.**

D

32. Et





32. Et ita' habet obligatio. Quod si ergo neq; dominus emphyteutæ tradat fundum, neque emphyteuta præstet, quæ præstare debet, in promptu est utriq; actio ex contractu, per quam alter alterum de eo, ad quod ex lege contractus tenetur, convenire potest, de qua mirum in modum inter se digladiantur Dd. quo nomine sit appellanda. *Accursius enim ad l. 1. C. de jur. emph. Donell. lib. 9. comm. c. 13. præscriptis verbis actionem, Vvesemb. Salicet. & Bart. conditionem ex lege. argument. l. unic. ff. de condict. ex leg. dari autumant* : Verior tamen est illorum sententia, qui propriam exinde actionem & quidem personalem, emphyteuticariam nempe, competere tradunt; ratio est, quia quicumque contractus habet certam formam, nomenque certum, ille etiam habet peculiarem actionem. *l. 1. ff. de præf. verb. l. 7. §. 1. ff. de pact. Bart. in l. 1. ff. de condict. ex leg. n. 7. & 8. Myns, ad § 3. Inst. de loc. cond. n. 6. Bronchorst. cent. 1. mis. assert. 43. Arum. disp. 14. exerc. 13. lit. 4.* Sufficiat autem nobis hac vice scire, hunc contractum esse satis firmum ad hoc, ut ex sese producat obligationem & actionem, nec opus habere legis auxilio, parumq; referre quo nomine hæc veniat actio, si quidem hodierno jure satis est, in libello aptè factum narrare, ex quo judici constare possit, qualisnam competat actio *Harp. ad § 3. in fin. Inst. de loc. cond.*

33. Vidimus effectum, qui respicit utrumque contrahentium conjunctim, sequitur ut dispiciamus de effectum, qui concernit quemlibet contrahentium separatim: Nam perfecto & rei emphyteuticæ traditione consummato contractu, dominus quidem acquirit sibi jus pensionis annuæ, quod ipsi invito auferri nequit. *l. id quod nostrum. 10. ff. de R. I. l. 3. C. de rescind. vend.* Item habet jus *προσηύσεως*, eo in casu, ubi emphyteuta alterum vult substituere emphyteutam. *l. 3. C. de jur. emph.* Retinet insuper dominiū directum & eo nomine actionem directam, non tantum finito jure emphyteutico. *l. in rem. 23. in pr. de R. V. §. 4. Inst. de off. Sed etiam adhuc durante eo, nō tamen adversus emphyteutam sed contra possessorem tertiū. arg. l. 1. §. is autem. 4. ff. de superfic.*

34. Apud emphyteutam verò eadem propemodumprehendimus jura & beneficia, eademq; è diverso onera, quæ dominos veros qui & concomitari solent: Habet enim i. jus utendi.



di fruendi plenissimum, ad dominium proximè accedens, unde aliis dicitur utile dominium. *Vesemb. in par. ff. si ag. vect. n. 2. Donell. lib. 9. comm. 13.* eoq; gaudet non jure servitutis alicujus: jus enim emphyteuticum servitutis species non est, quod probatur exinde, quia si servitus, esset aut personalis, aut realis, sed non est realis, neque enim hic res servit rei, quod proprium est servitutum realium. *t. t. Inst. de servit. prad. rust & urb.* neque etiam personalis; tùm quia nusquam in toto jure nostro civili refertur ad aliquam speciem servitutum personalium, tùm quia servituti servitus imponi nõ potest, at rei emphyteuticæ servitus imponi potest, ut paulo post apparebit; sed quia emphyteuta est utilis dominus juris in re sibi constituti, cui inhæret & quasi innata est actio in rem utilis, quæ etiã actio vectigalis appellatur. *l. 15. §. si de vectigalibus. 26 ff. de damn. infect.* per quã emphyteuta rē emphyteuticã a quocunq; possessore, etiam domino vindicat *l. 1. ff. si ag. vect.*

35. Hoc jus quì habet constitutum, inventis fortè in prædio fodinis auri, argenti, plumbi &c. iis uti non prohibetur. *arg. l. item si fundi 9. §. sed si lapidicinas. 2. & seq. l. si cuius. 13. §. inde est. 5. ff. de usufr. l. fructus eos. 7. §. si vis. 13. & seq. l. si fundus. 8. ff. solut. matrim.* Hisce annectimus jus venandi. *arg. d. l. 9. §. & si apes. 1. l. usufructuarium. 62. §. si vivariis. ff. de usufr. piscandi, aucupandi &c. jus utendi sylva cædua, modo in cædendo, ut & venando consuetus usus non excedatur. l. ex sylva. 10. l. seq. l. si cuius. 13. §. fructuarium. 4. ff. de usufr.* Fructiferas verò arbores, si quæ sint, incidere nullo modo potest, quia hoc ipso prædium redderet deterius, ob quod emphyteuta jure suo privatur. *Bart. in l. in fraudem. §. conductor. ff. de jur. fisc. arg. l. 7. §. si fundum. 12. ff. solut. matr. Gail. 2. Obs. 67. n. 7.* De thesauro invento, quid dicendum? Eum inter dominum & emphyteutam dividendum putamus. *l. si is. 63. §. quod si. 3. ff. de A. R. D. Gotbofr. ad l. 2. lit. a. C. de jur. emph. Henon. disp. Inst. 4. th 24.* Ab hoc jure utendi fruendi dependet jus incolumitatis, per quod emphyteuta rem suã adversus quas cunq; hominum injurias defendit. Hinc est, quod opus novum nunciare. *arg. l. in provinciali. 3. §. pen. ff. de nov. oper. nunc.* & sic exstructionem operis, ex quo damnum aliquod rei suæ immineat inhibere; damni infecti stipulari. *arg. l. qui bona.*



13. §. *superficiarium*. §. ff. de *damn. infect.* aquæ pluviae arcendæ agere possit l. 23. §. 1. ff. de *aqua pluv. arcend.* & c.

36. Mortuo autem primo acquirente, secundum naturam contractus est, jus illud cum persona non extingvi, sed transire ad heredes. §. *adeo*. 3. *Inst. de loc. cond.* verum hoc ita demum procedit, nisi pactis contrahentium id appar eat immutatum. Ita q; interest, ut dispiciamus qualiter pacta contrahentium processerint, iis quippe præfinitur obligationi modus & forma, eademq; strictè sunt observanda. l. 1. *C. h. t.* Solent enim interdum certâ temporis determinatione explicare voluntatem suam, utrum ad definitum tempus, an vero in perpetuum velint rem emphyteutico jure existere apud emphyteutam: ubi referre putamus, an de seculari, an vero Ecclesiastica tractetur emphyteusi: siquidem civilis, transit ad heredes quosvis, etiam extraneos §. 3. *Inst. de loc. cond.* Ecclesiastica verò ad solos descendentes, etiam ultra tertiam generationem. N. 120. c. 6. §. 1. *Iul. Clar. de jur. emph. quest. 28. n. 3.* exceptâ solâ emphyteusi in re majoris Ecclesiæ, Constantinopolitanæ puta, & aliarum religiosarum ædium eidem subjectarum, constituta, quam placuit ad filios & nepotes solum transire. *Nov. 7 c. 3. Nov. 55. c. 2.* Interdum vero suppressâ mentione temporis, cum id implicite & indeterminatim in ipso negotio contineatur, sibi & successoribus suis prospiciunt: quod quibusnam factum sit verbis cognovisse interest. Nam i. emphyteusis solet accipi pro se & filiis, quo casu, tam civilis, quam Ecclesiastica transit ad quoscunque descendentes, masculos & feminas l. *justa*. 201. ff. de *V. S. Nov. 7. c. 3. in pr. Fachin. §. cont. 97* idque. ex intentione & voluntate contrahentium, qui dum scirent, aut scire deberent, quinam appellatione filiorum contineantur, nec tamen mentem suam apertius declararint, præsumuntur sese accommodasse communi & consuetæ interpretationi, quæ est in l. *filii*. 44. l. *justa*. 201. de *V. S.* Sed quid dicendum de legitimatis? Hos non excludimus siquidem per omnia veris, justis ac legitimis æquiparantur. *Bachov. in not. ad Treut. disp. 29. th. 11. lit. f. 2.* Pro se & heredibus, ubi distinctio adhibenda, sic, ut civilis transeat etiam ad extraneos, quorum tamen appellatione hoc loco non putamus venire eos, qui propter



pter delictum alicui succedunt, veluti in causa publicationis bonorum, fiscus *Aurel. Corb. de jur. emph. c. 7. n. 30. & seqq* Ecclesiastica vero ad solos descendentes 3. Non est infrequens ut emphyteusis detur pro se & hæredibus quibuscunq; ubi & Civilis & Ecclesiastica transire potest ad hæredes extraneos. *N. 120. c. 6. §. & ibi Cujac.*

37. Ex hoc jure succedendi subsequentes tres illustres & notatu dignæ fluunt controversiæ, quarum primâ quæritur: An pater in testamento suo possit disponere de emphyteusi, eamq; uni ex filijs prælegare? Affirmativam putamus verissimam. Si enim de rebus aliis pro lubitu suo disponere potest pater familias, quæ ratio, ob quam hoc jure eidem interdiciendum sit in re emphyteutica, cum in eam jure communi, non vi pacti alicujus specialis fiat successio. *Boter. clas. 1. disp. 14. th. 75. Everhard. in top. legal. in loc. à feud. ad emphy. n. 6 & 45.*

38. Succedit altera, non minus difficilis & intricata quæstio: An filius, si abstineat hereditate paternâ, possit nihilominus retinere emphyteusin? *N. cum Treut. vol. 1. disp. 29. th. 11. lit. e.* Sicut enim non potest quis pro parte una heres esse, pro altera vero non *l. 1. & 2. ff. de acquir. hered.* ita etiam non potest quis repudiatâ hereditate sibi præcipuam habere emphyteusin, quæ bonis connumeratur allodialibus & iis, in quæ communi jure fit successio, uti th. præced dictum est. Hanc quæstionem excipit tertiæ quæ controversa disceptatio: Utrum defuncto antecessore meo, cui ego in omnibus bonis extiti heres, adeoq; etiam in emphyteuticis, necesse sit, ut intra anni unius & diei spacium ad similitudinem Vasallorum. *1. Feud. 26. in fin. & 2. Feud. 24. in pr. investituræ & immisionem, sive traditionem possessionis à domino petam? N. modo sim in prima conventionem vel expressè vel implicite comprehensus Diversitatis rationem hanc esse putamus, quia ea est natura successionis feudalis, ut fiat non nisi petitâ & impetratâ à domino rei in feudum datæ, investituræ renovatione, veluti tradunt Feudistæ *1. Feud. tit. 24 & 26. & præstito fidelitatis juramento, quod ad formam feudorum exigit in sua analysi jur. feud. Libor. Hattiser. c. 9. quorum tamè neutrum desideramus in successione quæ fit in emphyteusin, nisi in casu, ubi pactis contrahentium ita fuerit conventum ut certis stansq; temporibus investituræ petatur renovatio. Iason ad l. fin. n. 41. C. de jur. empb. Myns. cons. 18. n. 5. Gadd. part. 1. disp. jur. civ. disp. 14. th. 8. lit. d.**

39. Secun-



39. Secundo ex natura contractus emphyteutici fuit jus alienandi. *d. §. adeo. 3. Inst. de loc. cond. l. i. v. neq. his qui in locum eorum successerunt C. de jur. empb.* Idq; de veteri quidem jure profus & omnino liberum, ut opinatur *Donell. lib. 9. comm. jur. civ. c. 14.* sed novo, valde imminutum, per *l. ult. C. h. n. t.* In qua Imperator Justinianus de novo constituit, ut quantum ad jus alienandi emphyteuses attinet, in hoc procedendum sit secundum dispositionem contrahentium & tenorem instrumenti: Quod si vero pacta illorum specialia ignorentur, aut probari non possint, quia forte amissum & deperditum est instrumentum, tum ne conditio domini ex facto alterius reddatur deterior. *l. non debet. ff. de R. I. certis requisitis & sollemnitatibus adhibitis liberum erit emphyteuta, in quemcunque & ex quacunque causa jus suum transferre, modo sit persona ad recipiendum emphyteusin habilis, utpote, quæ canonem solvere possit d. l. fin. C. h. t. aut per quam domino non fiat durior conditio in exigendo vectigali.* Ex quo fuit decisio quæstionis illius: An si emphyteuta ingrediatur monasterium, emphyteusis per hoc acquiratur ecclesiæ? N. quia enim emphyteusis non potest alienari in potentio rem, quæ regula in praxi communis est, teste *Jul. Clar. de jur. empb. quæst. 22.* consequens omnino, quod non possit transire in monasterium; potentior enim Ecclesia intelligitur privato, quia eo est magis privilegiata. Prohibitis personis an connumerari debeant curiales & milites dubitari solet? Aff. per rationem desumptam ex *l. curialis. 30. & l. miles. 31. C. de locat.* Illi quidem, ne avocentur ab onere publicorum munerum, quæ sustinere debent. *Alicat. 2 par. c. 26. Ioh. Coras. ad l. fin. n. 2. C. h. n. t.* Hi ne amisso armorum usu, ad opus rurestre se conferant & vicinis graves existant. *d. l. 31. C. de locat.*

40. Requisita ad alienationem firmam necessaria, prædicta *l. ult. C. de jur. empb.* recenset tria: ex quibus primum est, ut emphyteuta, simul ac sese obtulerit emptor, id testato denunciaret domino, in ea esse conditione jus suum ut alteri veniat, certo pretio, quod in veritate determinandum, ut, si placeat domino, is habeat in emptione prærogativam & emptorem extraneum oblatione pecuniæ ab emptione depellat. Quo facto, per



cto, per duorum mensium spacium emphyteuta expectabit do-  
mini ad hanc denunciationem responsionem, qui si intra præ-  
fatum tempus responderit, aut consentit alienationi in extra-  
neum, aut dissentit, & dissentiendo, aut ipse emit, aut non. Si ipse  
offerat pretium, res expedita est, dominum nempe præferri cui-  
vis extraneo. Sin dissentiat nec dissentiendi causas justas habe-  
at, aut si planè non respondeat, amittit beneficium prælationis,  
& sic isto casu, etiam invito domino emphyteuta jus suum alie-  
nare poterit. *d. l. 3. C. de jur. emph.*

41. Prædicta denunciatio, an præcisè restringenda sit ad  
casum emptionis venditionis, an verò in quacunq; alienatione  
etiam permutatione & donatione obtineat, admodum contro-  
versum est? Placet posterius, quia in *l. 3. C. d. t.* verba habentur  
generalia hæc: minime licere emphyteutæ sine consensu domi-  
ni meliorationes suas aliis vendere, vel jus emphyteuticum  
transferre. In dubio autem tenaciter inhærendum est pro-  
prietati verborum. *l. non aliter. 69. l. ille aut ille. 25. ff. de legat. 3.* ni-  
si voluntas disponentis probabiliter nota sit, ex re subjecta, vel  
ex aliis circumstantiis reluceat. *l. semper. 34. ff. de R. I.* Itaq; em-  
phyteuta ex quacunq; causa alienaturus jus suum, tenetur hoc  
denunciare domino, ut is in causa quidem venditionis præla-  
tionem habeat, quod innuunt verba *d. l. ult. v. sed ne hæc. verb. ac-  
cipere pretia. & vers. sin autem. verb. vendere.* At in causa permu-  
tationis, aut donationis, quia dominus propter affectionem,  
emphyteutæ easdem res dare non potest, ne tamen ipsi præjudi-  
cium aliquod generetur, aliæ succedunt rationes: tum ut sciat  
dominus quis novus sit emphyteuta, tum ut priusquam ei pos-  
sessionem concedat, & de laudemio sive quinquagesima, & de  
canone annuo sibi prospiciat, tum ut donationem intra duos  
menses confirmet &c. plures rationes affert. *Hillig. in Donel enucl.  
c. 14. lit. g. in not. quas ibi vide. Hanon. disp. Inst. 16. th. 19. Fachin. 3.  
Contr. 97. & 6. cont. 98.* Verum si emphyteuta socio suo, de ea-  
dem re simul investito, partem suam vendat, an & tum do-  
mino erit attestatio transmittenda? *Affir. cum Harpr. per l. dudum,  
14. C. de contr. empt. & l. 3. C. b. n. t.*

42. Secundum



42. Secundum requisitum est, ut facta venditione vel donatione, emphyteuta petat à domino immissionem sive inductionem in prædium emphyteuticum, quod dominus vel per se vel per epistolam, aut depositionem census facere tenetur, *d. l. 3. C. b. t.* si tamen de facto hoc facere detrectet, nec intra duos menses ad petitionem respondeat, amittit beneficia sibi in *d. l. 3. C. de jur. emph. concessa.*

43. Tertium requisitum est, ut domino pro admissione, aut subscriptione, præstetur honorarium sive laudemium, ab approbatione & laudatione novi Emphyteutæ sic dictum, quod nihil est aliud, quam id ipsum, quod emptor sive successor rei emphyteuticæ domino pro investitura pendit. Atq; hoc, ne in infinitum procedat dominorum avaritia, ita determinatum est, ut sit pars quinquagesima aut pretii, ubi emptio celebrata, aut æstimationis fundi, ubi ex alia causa processerit alienatio. *d. l. 3. C. de jur. emph.*

44. Ad hoc jus alienandi, accedit jus oppignorandi. *l. 31. ff. de pign. & ibi Goibof. lit. b. l. tutor. 16. §. fin. ff. de pignor. act. Rittersbus. in partit. feud. lib. 2. c. 4. quest. 4. Servitutis imponendæ l. 1. §. ult. ff. de superfic. l. & in provinciali. 3. C. de servit. & aqua quæ tamen servitus tantum jus emphyteutæ concernit, non etiam domini. Unde resoluta jure dantis, resolvitur etiam jus accipientis, & sic, ubi reversa fuerit res ad dominum, deperit ipso jure servitus. *l. peto Luci. 69 §. prædium. ff. de legat. 2. C. post. de servit. præd. urb. c. 14. n. 2.* Jus locandi, quia locatio non est alienatio, & quia per hanc non substituitur novus emphyteuta, ut sit opus aliqua inductione. *Giphan. ad l. 1. quest. 6. C. de jur. emph.**

45. Hactenus quemadmodum emphyteusis constituitur. Paucis nunc etiam lubet inquirere in modos, quibus constituta emphyteusis rursus dissolvitur. Et quidem aut ipso jure deperit emphyteusis, aut facto contrahentium. Ipso quidem jure, ob rei non existentiam, ut puta, si tanta emerferit elades, quæ totius rei perimat substantiam. *§. adeo. 3. Inst. de loc. cond. l. 1. C. de jur. emph.* aut ob qualitatem & conditionem concedentis, veluti si heres fundum alteri sub conditione relictum, pendente



pendente ea extraneo cuidam concedat, nam isto casu, si existat conditio, ipso jure expirat & extinguatur emphyteusis. Vel ex natura contractus, puta, si ad tempus vel definitum vel indefinitum sit constituta emphyteusis, nam finito tempore vel generatione aut sobole, necesse est expirare etiam emphyteusis: concessum enim ad tempus, post illud intelligitur prohibitum. *l. Imperator. 8. ff. de postul. l. statuliberum. ii §. Stichum. i. ff. de legat. 2.*

46. Ex facto dissolvitur emphyteusis vel contrahentis utriusque simul, vel alterutrius tantum; Prius contingit mutuo dissensu. Nihil enim tam naturale est, quam quidque eodem genere dissolvere quo colligatum est. *l. 35. ff. de R. i.* Unius autem penitentiae in hoc contractu locus non est. Unde non potest emphyteuta invito domino praedium deserere, tum propter regulam generalem, quod altero invito a contractu resilire non liceat. *l. 3. C. de rescind. vend.* tum quia ubi utriusque contrahentis causa contractus aliquis celebratur, renunciationi unius locus non est. *argument. l. pen. C. de pact.* Uti nec dominus absque iustissima causa emphyteuta jus suam auferre potest, ut mox videbimus.

47. Emphyteuta amittit jus suum vel faciendo ea, quae facere non debebat, vel omittendo ea, quae facere debebat. Faciendo quidem: i. Si dolo malo rem reddat deteriozem. *N. 120. c. 8. a. ubi qui rem. C. de SS. Eccles.* qui textus tamen loquantur de emphyteusi Ecclesiastica, ob paritatem tamen rationis, haut incongrue possunt etiam referri ad civilem. Ampliatur hoc, ut procedat, etiam si pars tantum fundi fuerit reddita deterior, modo deterioratio illa contineat damnum aliquod irreparabile. *Bald. in l. cum ejusdem 39 ff. de adil. edit.* Nam cum sub lege meliorationis praedium accipiat emphyteuta, non poterit contra conventionis legem illud reddere deterius. Oportet autem deteriorationem esse magnam. *argument. l. Sejo. 4. ff. de rest. in integ. Myns. ad §. 3. Inst. de loc. cond.* Nam de momentanea malae culturae deterioratione non auditur dominus, ut emphyteutam expellat. *Corb. de jur. emph. c. 13. n. 27.*

48. Secundo, Si jus suum alienet irrequisito domino atque  
E ita



ita dolo malo conetur domino jus suum intervertere, *Corb. d. l. 6. 13. per. l. 2. in fin. C. b. n. t.* Quod utrum extendendum sit ad casum ventionis, quæ nulla est, non propter prohibitionem *d. l. 2.* sed ob defectum solennitatum, veluti si muliter, sine consensu meriti ex statuto aliquo adhibendo, vendiderit? N. cum *Hillig. in Donell. enucl. lib. 9. c. 15. lit. e. in not. 3.* Si requisitus à domino, ut canonem solvat, dolo inficiatus fuerit jus emphyteuticum, & postea processu judiciario procedente convictus sit de mendacio, quia hoc ipso malè videtur versari in re emphyteutica. *arg. l. ade. C. de locat. Speculat. in §. alia. quest. 65. n. 82. de locat.* Idem est si in denutiacione falsum mentiatur pretium, quo dominum ab emptione deterreat, aut si fictam præsupponat donationem clam ab emptore pretium accepturus. *Hillig. in Donell. enuc. d. l.* Habet autem hæc causa privationis multas limitationes, in praxi admodum utiles, quas videre licet apud *Aurel. Corb. d. l. 6. 1. n. 12. & seqq.*

49. Omittendo emphyteuta amittit suam emphyteusin, si non faciat ea ad quæ est obligatus, veluti si pactis, conventis stare detrectet. *Nov. 120. c. 8.* aut si in solutione & præstatione pensionis & apocharum moram necet, ubi diligenter ad hæc tria animadvertendum, 1. ad tempus, quo debeat offerri solutio. 2. ad personam solventem. 3. ad rem ipsam quæ solvitur. Quo ad prius tenendum, singulis annis offerendam esse pensionem debitam domino, una cum cautione exsolutarum functionum publicarum. Quo tamen anni mense, aut quâ die id fieri oporteat, siquidem pactis contrahentium expressum non fuerit *l. 1. C. b. n. t.* dicimus in arbitrio id esse emphyteutæ. *l. pen. C. de collat. fund. patrim. lib. 11. & ibi. Cujac. Coras. ad l. 2. C. de jur. empl. n. 23.* Ubi quæritur: An si emphyteuta citius atq; debebat offerat, vel si pro tribus aut quatuor forte annis futuris canonem solvere paratus sit, præcisè cogi possit dominus ad recipiendum? N. quia domini interest ut redditus suos certis statisq; temporibus accipiat, nec potest domino sine suo facto jus, certis temporibus recipiendi debita, auferri, maximè, si per hoc domini conditio reddatur deterior. *l. non debet. 74. ff. de reg. Jur. Obrech. d. disp. de jur. empl. th. 141.*

50. Si



50. Si ergo non attento tempore solutioni definito  
cesset emphyteuta, in emphyteusi civili per integrum triennium.  
*l. 2. C. de jur. emph. in Ecclesiastica per biennium. d. l. 2. & auth. qui  
rem. C. de SS. Eccles. cadit jure suo, per text. all. Quia hoc ita in jure  
civili receptum, ut post triennium in civili & biennium in Ec-  
clesiastica emphyteusi, cesset omnis moræ purgatio. d. l. 2. verb. o-  
mnimoda repellendo. C. h. t. quia ubi dies & pœna obligationi adje-  
cta est, purgari mora non potest. l. traje d. 1. 2. 3. de O. & A. Iason.  
in l. 2. n. 72. C. de jur. emph. Fachin. 1. contr. 98. ubi aliud receptum dicitur  
quoad emphyteutam Ecclesie de jur. canon. per cap. potuit. de los. st. Nec  
est, ut quis hoc in contractu expectet interpellationem domini,  
siquidem juris est expediti, in obligationibus in diem contra-  
ctis, diem interpellare pro homine. l. magnam. 1. 2. C. de contrab. sti-  
pul. idem esse in die legali, sive in obligatione in qua dies ex na-  
tura contractus provenit, docet Iason. in d. l. 2. in 9. notab. n. 35. C. h.  
n. 1. Sed quid si emphyteuta jurejurando sese ad solutionem ca-  
nonis adstrinxit; poteritne ob hoc etiam ante triennium vel  
biennium continuum elapsum expelli? Neg. tum quia in dubio  
jusjurandum naturam contractus sequi intelligitur. Aurel. Corb.  
d. 11. cap. 8. n. 20. Fachin. 3. cont. 16. tum quia jurisjurandi contempta  
religio DEUM ultorum habet. l. 2. C. de reb. cred.*

51. Accidit autem interdum ut emphyteuta domino, volenti  
se prædictis excausis expellere, quasdam opponat exceptiones;  
quarum alix à jure civili approbantur, alix improbantur. Ap-  
probatur exceptio pacti conventi de non expellendo d. l. 2. C. h. t.  
nam cum hoc fluat ex natura contractus, ut canone intra cer-  
tum tempus non soluto, emphyteuta jure suo cadat: Eorum  
autem quæ sunt de natura contractus ea sit conditio, ut pactis  
contrahentium immutari possint, sicuti supra ostensum fuit,  
nihil impedit, quominus à contrahentibus pro libitu id tempus  
vel dilatari vel coarctari possit. Ubi tamen refert animadver-  
tere, num ab initio dominus simpliciter tantum & generaliter  
promiserit, se emphyteutam non expulsurum, an vero certas  
insuper causas adjecerit: Nam priori casu non proderit emphy-  
teutæ pacti exceptio, quia promissio generalis de non expellen-  
do facta



do facta, intelligitur eo solvente & servante ea, ad quæ ex natura contractus tenetur, & dicitur habere in se tacitam conditionem, nisi emphyteuta fecerit tale quid, propter quod licitum sit domino eum expellere. *argument. l. quæro. 45. § inter locatorem. 1. ff. locat. per quem textum ita infert Iason. in l. 2. in 8. notab. n. 34. C. de jur. empb.*

52. Improbantur à jure civili. 1. Exceptio pænæ stipulationis; veluti si emphyteuta opponat domino, factam esse pænæ stipulationem, ut, si certis temporibus emphyteuta canonem non præstet, pænæ nomine 10. det. Hæc exceptio ideo non obstat domino, quia pænæ non solet eum in finem adjici, ut quid detrahat obligationi, sed potius ut addat. *l. si se 4. §. si ex conventionem. 4. ff. de re. jud.* 2. Exceptio recepti canonis, vel tacitæ renunciationis, veluti si emphyteuta objiciat, dominum elapso triennio canonem præteriti temporis à se oblatum recepisse. Non enim præsumitur quis beneficiis sibi competentibus renunciare, qui jure suo utitur. *arg. l. si idem 6. C. de his quib. ut indig.* Dominus autem dum recipit canonem & simul emphyteutam prædio expellit, ea facit, quæ de jure facere potest, quia conjunctim hæc ipsi deferuntur, & canonis exactio & jus expellendi. *Donel. lib. 9. comm. c. 15. Sichard. & Cujac. ad l. 2. C. de jur. empb.*

53. Quod attinet secundo loco personas solventes, aut unus est obligatus ad solvendum, aut plures. Siquidem plures & ex his unus non solvat per triennium, an pro parte non solventis tantum, an vero in totum deperat emphyteusis, acerrimè inter Dd. cōtrovertitur? Nos pro parte tantum non solventis eam amitti, defendere conabimur, tum per *l. fraudati. 8. ff. de public. & vect. l. fin. ff. ad SC. Syllan. l. eadem dicemus. 4. §. Cato. 1. ff. de V. O.* tum per rationem, quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. non debet de R. I. & suus cuique dolus atque culpa nocere debet, non etiam alteri. l. 3. pr. ff. de transact. l. electio. §. fin. ff. de noxal action.* Nova hinc emergit quæstio: Utrum si alter ex coheredibus ideo non solverit canonem, quia ignoravit rem esse emphyteuticam, etiam tum privetur jure suo? Negativam ad veritatem propius accedere putamus, nulla adhibita distinctione inter juris & facti igno-



cti ignorantiam, tūm quia heredibus imputari ignorantia non solet. *l. qui cum aliquo. ff. de R. I.* tūm quia cum agitur de damnis amittendæ rei suæ, nec juris, nec facti ignorantia obesse solet. *l. error. 8. ff. de jur. & fact. ignor. Gail. 2. Obs. 48. n. 4. & ibi. all.*

54. A personis devenimus tandem ad rem ipsam solvendam. Ut igitur sit locus commissio vel caducitati, requirimus, ut mora fiat in solutione canonis & apocharum *l. 2. C. de jur. empb.* Quod utrum extendendum sit etiam ad solutionem laudemiorum, in quæstionem venit? Neg. nullibi enim id expressum, ne quidem in *d. l. 2. C. b.* cum tamen ibi propositum esset Imperatori, ostendere, quomodo & quibus ex causis emphyteuta expelli possit. Huic quæstioni vicina est illa, variis Dd. opinionibus nobilitata disquisitio, qua quæritur: An & is, qui partem aliquam pensionis debitæ solvit intra triennium, elapso eo, expelli possit? Affirmativam arripimus sub hac limitatione, nisi id quod per integrum triennium solutum est, si coacervetur exæquet summum unius anni, nam hoc casu verum non est, quod dicitur cessatum esse per integrum triennium. Fieri autem posse & debere ejusmodi computationem, docet *Fachin. 1. contr. 96.* ex ratione, quod solutio à debitore facta semper cedere debeat in duriores causam. *l. 1. & 3. ff. de solut. l. 2. C. eod.*

55. Atq; ita solet emphyteusis ex negligentia emphyteutæ deperire, an autem ipso jure, an vero demum accedente sententia judicis, adhuc dubitari solet? prius verius est, per verba *l. 1. C. b. n. r. ubi dicitur.* domino expellere licere emphyteutam, qui per triennium cessavit in solutione, quæ verba omnino præsupponunt, ipsum jam jure suo cecidisse. *Gail. 2. Obs. 51. n. 7.* Sed hoc ita, si de cessatione certo constet. *argument. l. lex vectigali. 31. ff. de pignor. & dominus voluntatem suam declaret, nam quousq; dominus voluntatem suam non declaravit, cessans in solutione emphyteuta manet. Fachin. 1. contr. 93.* Ex quæstione hac pendet decisio illius controversiæ. Ad quemnam, antequam dominus voluntatem suam declaret, fructus pertineant interea temporis percepti? Et putamus ad emphyteutam, quia quamdiu quis est emphyteuta, tamdiu omne emolumentum ad eum spectat.



*Stat. argument. l. in diverso. §. 1. ff. de R. V.* Antequam autem dominus voluntatem suam declararet, adhuc est emphyteuta *d. l. 2. C. b. t. verb. si dominus velit.* Ergo *Fachin. lib. 1. cont. c. 94.*  
56. Quod haecenus aliquoties dictum est de expulsionem, non oportet ita accipi, quasi privatam auctoritate dominus possit emphyteutam eicere, quia nemo potest, sibi ipsis jus dicere *L. u. nic. C. ne qui in sua caus. jud. l. non est singulis. de R. I. l. creditares. 3. C. de pig. or. & hyp.* tenetur enim dominus, ubi emphyteuta cecidit jure suo, instituta rei vindicatione, emphyteuta ad restituendum congruum tempus concedere. *Fach. l. cont. 95.* Restituta autem re emphyteutica, incipit utile dominium cum directo consolidari, & recipit dominus rem suam, una cum meliorationibus omnibus, etiam tum, quando sine culpa emphyteuta finitur, quia is ad faciendas impensas & meliorationes obligatus fuit, at tali casu cessat omnis impensarum repetitio. *l. colonus. 61. l. dominus bonorum. 55. §. in conducto. 1. ff. locat.* Nec tenetur dominus praedium proximis agnatis de novo concedere, aut in contrahendo proxime subsequentes cognatos extraneis praeferre, quia praedium absque omni onere & prorsus liberum ad eum revertitur. *Gail. 2. Obs. 148. n. 3.*

57. Superest denique, ut, antequam hinc abeam, filumque abrumpam, paucula de iis negotiis, cum quibus emphyteusis magnam familiaritatem & cognationem habet, in medium adducam. Sunt autem ea: 1. Locatio conductio, quae magnam habet cum hoc nostro negotio affinitatem, ut non immerito a veteribus dubitum sit, num emphyteusis esset locatio. *§. adeo. 3. Inst. de loc.* Distat tamen ab ea multis modis, nam in locatione, merces non consistit indistincte in requavis fungibili, sed facienda est distinctio, inter locationem usus & operarum. *l. 1. §. si quis. 9. ff. de pos. l. 5. §. 2. ff. de praesc. verb. l. si olei. 21. C. de locat.* Aliud est in emphyteusi. Haec praestat quasi dominium ei qui accipit, illa non item, sed aut transfert directum dominium, ut in casu *l. 21. ff. locat.* aut plane nullum. Videatur *Valas. de jur. emph. quaest. 20. ubi adducit differentias* quas omnes hic recensere nimis longum foret. 2. Emptio ventio, a qua differt, quia in hanc venit etiam



am res mobilis, secus in illam, & quia in emptione venit potissimum res ipsa, in emphyteusi usus rei. Sic in emptione, pretium precise consistit in pecunia numerata, in emphyteusi non item. 3. Contractus superficiarius, à quo discernitur in eo, quia superficiarius habent tantum jus in superficie. *l. 2. ff. de superficialib.* emphyteuta in praedio universo. 4. Contractus censuarius. Per hunc res alicui venditur & traditur pleno jure, ita ut in accipientem transeat tam utile quam directum dominium, in emphyteusi transfertur solum dominium utile. 5. Contractus precariae, ab hoc differt tum in eo, quia hic nulla fit mentio meliorationis, sicuti in emphyteusi, nec ullum transfertur dominium in accipientem, sed tantum ususfructus, tum quia non semper praestatur pensio annua, sed interdum precariae sunt gratuita & quinto plerunq; anno renovantur. *Cujac. de feud lib. 1. tit. 5.* 6. Contractus libellarius. In emphyteusi ab initio non praestatur certum pretium, aliud est in libellaria, quae insuper solet certis statisque temporibus renovari, etiam non mutato possessore, quod non est necessarium in emphyteusi. *Cujac. de feud. lib. 1. tit. 2.* 7. Feudum, huic enim adjici solet lex fidei & servitii militaris, emphyteusi vero lex meliorationis. Sic in feudis non est locus laudemis, impugnarent enim ea naturam feudorum, utpote quae sunt concessionis amore & honore, non pretiis aestimanda, aliud in emphyteusi deprehendimus. *l. fin. de jur. emph.*

*Atq; hac de jure emphyteutico pro ingenuitate  
nuitate, non pro materia dignitate  
hac vice dicta sufficiant.*

**Soli Deo Gloria.**





*Ad*  
Præstantissimum ac Literatissimum Dn. Re-  
spondentem, amicum & convictorum suum  
singulariter dilectum, de Emphyteusi  
differentem,

**S**unt, qui sacrarum tractant mysteria rerum,  
Iungentes Sophiam, quæ emolumenta parat:  
Sunt, quos Pæonias didicisse fideliter artes,  
Et morbos herbis posse levare juvat.

Pulchrum cuiq; suum: trahit & sua quæq; voluptas,  
Sed tibi præ-reliquis, quæ placuere bonis?

Scrutaris studiô civilia pondera legum,

Eunomiaq; patris per juga celsa domum.

In promptu res est scriptum satis approbat ist hæc,

Deq; Emphyteusis nomine nomen habet.

Euge bonum factum! veniet tibi fama perennis,

Hinc patriæ nostræ commoda mille feres.

Multa precando forent: paucis precor, accipe verbis,

Juridici fias, pulchra corona fori.

*Admod.*

honoris ergo

*app.*

Zacharias Polnerus Vratisl.


Medic Studiosus,



Vb 17

ULB Halle  
002 673 282


3



TA → OL











A.  
 lica. 1627 3  
 TEUSI.  
 oritate Ma-  
 ctorum ordi-  
 Academia,  
 sultissimi,  
 umberg. J.U.D.  
 & Promotoris  
 di,  
 bmittit  
 N A W, Vra-  
 s.  
 m 27. Septemb.  
 utinu.  
 GÆ  
 ohannis Gormanni,  
 XXVII.

3  
M

W

1627

